

men a viris doctis ad castigandum vel expol-  
endum hunc omnis antiquitatis principem labo-  
raturum sit, et Tu, mi Tychsen, bene nosti et me  
monente opus non est. Etli enim post Bar-  
nesium et Clarkium nouissimis quoque annis  
virorum doctorum opera ei non defuit omnis,  
multaque in eum obseruata sunt praeclare,  
alia non inutiliter tentata: longe tamen haec  
absunt ab eo, quod ad recensioem Ho-  
meri et interpretationem desideres; talem  
certe qualem nos quidem animo tanquam  
imagine et exemplo expressam circumferi-  
mus. Interea fatendum est, ne viam quidem  
ad operam hanc suscipiendam adhuc esse satis  
instructam, et superesse tam multa tam-  
que varia constituenda, antequam ad nouam  
Homeri recensioem animo et studio de-  
signandam accedere liceat, vt res facile  
vnius hominis et annos et vires sit superatura.

Haec tamen pro se quisque, qui ani-  
mum ad ea attenderit, haud aegre intelligat.  
At in eo, quod nunc commemorabo, etsi  
de Tuo assensu nullus dubitem, nescio an  
multos habiturus sim adstipulantes; videtur  
tamen res mihi ita esse comparata, vt ne vna  
quidem editione negotium hoc confici aut  
omnibus iis, quae ad Homerum iustam tra-  
ctationem requiri puto, satis posse fieri  
censeam.

Omnino quidem Homerum, vt aliorum  
auctorum veterum, etsi male repugnent alii,  
alii ne odorentur quidem rem ita se habere,  
edi-